© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

Francisci a Mygind,
Consiliarii Caesareae et Regiae Majestatis Austro-Hungariae,

Observationes Critico-Botanicae,

seu

Epistolae ad Linnaeum scriptae.

E genuinis, quae Londini apud „Societatem Linneanam" asservantur, manuscriptis descriptas

exhibuit

Carolus de Flatt.

Pars prima.

(Eingelaufen im September 1895.)

Praeclarus artis Botanicae cultor, e Dania oriundus Franciscus à Mygind, quinquaginta fere annos urbis nobilissimae Vindobonae incola et usque ad obitum suum amicitia coniunctus erat Jacquino. Vitam eius Cl. Hohenbühel-Heufler memoriae prodidit in Actorum Societatis Vindobonensis Zoologisch-botanische Gesellschaft, quae „Verhandlungen" inscribuntur, tomo XX, anno 1870.

I.

Nobilissimo, Spectabili, et Consultissimo Viro

D° Carolo à Linné,

Equiti Aurato de Stella Polari, Regiae Majestatis Sueciae Archiatro, etc.

S. P. D.

Franciscus à Mygind,

Caesareae et Regiae Majestati a Consiliis Aulae Supremis.

Accepi a D° Ferber delucidationes tuas plantarum quarundam, quae mihi dubiae fuerunt, et ideo gratias ago, quas possum, maximas. Humanitate tua ad ineundum amplius litterarum commercium allicior, et cum meas qualescunque observationes haud contemnere videaris, animum mihi addis, ut eas luculentius exponam, tuoque subjiciam judicio.

1. *Stellaria biflora.* Siquidem vestra est petalis emarginatis, non potest esse planta Seguierii et Oederi, quae pingitur et describitur petalis integris,

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

integerrimis: nec facile componi poterit cum descriptione *Arenaria* in Amoenit. Acad., p. 158 cum *Sagina*, Flor. Lapp., cum *Moehringia*, Flor. Suec. aut ab *Arenaria biflora*, Syst. Nat. discerni. Sed datur alia species petalis ad unguem usque bifidis, quae cum mihi missa fuisset ex Carinthia, ut de ea dicerem opinionem meam, respondi, forte esse tuam *Stellariam bifloram:* nam, praeter petala bifida, conveniebat exacte cum descriptione adjecta in Sp. pl. Reclamavit autem ille, qui miserat, neutiquam convenire cum planta Seguierii, nec cum tua in Amoenit. Academ. Tunc me tacere docuit. Id autem certum est, icones Seguierii et Oederi non monstrare petala vel tantillum emarginata. Planius itaque mihi videtur, hanc plantam, etiamsi petala emarginaturam subnullam habuerint, ad *Arenarias* reducere, et Caracterem *Stellariae* in petalis vere bifidis ponere, aut demum hoc duo genera in duos ordines distincta, conjungere.

2. *Hieracium alpinum.* Vidi specimen, quod dedisti D° Jacquin, et aliud, quod habet ab Hallero. Utrumque, ad *Hieracium villosum* propius accedens, mihi videtur diversum ab eo, quod ipse Jacquin pro *Hieracio alpino* nostro exhibuit: qua de re eum jam monui.

3. *Vicia Lathyroides.* Mire variat, ita ut forte etiam, ut in icone Oederi, sine cirrhis inveniatur. Apud nos, statura major, semper habet folia triplo longiora, plane linearia, superiora plerumque retusa cum acumine, tamen etiam prorsus acuta interdum in eadem planta; infima semper retusa, etsi longiora, quam ut obverse cordata dici possint. Plantae quae variant, multis modis variare solent, et una varietas alteram confirmat. Cranzius noster, si non habet, cui contradicat, contradicit sibi ipsi. Laudat iconem Oederi, velut optimam; et statim subjungit: Oederus cirrhos non habet, quos Hermannus pinxit, et ego in mea planta video; folia caulina ad haec, in utraque icone diversa sunt, et meae plantae nulla conveniunt. Sed aliam *Viciam* satis bene descriptam et depictam dedit, sub nomine *Vicia militans*, quam tamen ante illum adhuc melius descripserat, et depinxerat Gerhardus in Flor. Prov., p. 497. Haec in tuis locum meretur, omnium *Viciarum* pulcherrima.

4. *Thalictrum Oederi minus.* Cum sit *Thalictrum* simplex, optarem scire ejus differentiam praecisam a *Thalictro flavo*, et an caulis semper sit simplicissimus. Nam in Austria habemus simillimum, saepe ramosum, quod Cranzius appellavit *Thalictrum magnum. Thalictri* plures esse species, quam creditur, persuasum habes. Neque enim species in hoc genere multum variant, nisi numero staminum et pistillorum. Habitus in singulis constans fere semper, et ubique idem est. Species distinctas duodecim novi, sed vix unam alteramve ex tuis certo! *Thalictra, Salvias, Agrostides, Airas, Poas, Bromos, Festucas, Avenas, Panica dactyloidea*, cujus tres species habemus in Austria, sed nullam vaginis foliorum punctatis, *Galia, Plantagines, Solana, Physalides, Umbelliferas, Rumices, Arenarias, Euphorbias, Rosas* (inter quas *Eglanteria* antiquorum, flore parvo purpureo, et foliis odoratis, pomum olentibus, a tua lutea omnium *Rosarum* et flore et foliis maxime inodora est valde diversa), *Sisymbria, Lavateras, Orobos* (quibus adjungendus est noster *Pannonicus III* Clusii, Hist., 2, p. 231), *Vicias, Cytisos* (*supinum* Tibi exhibebit D^us^ Ferber),

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

Hieracia, Crepides, Carduos, Asteres, Erigera, Solidagines, Achillaeas, Carices, et *Muscos* perlustrare praecipue opus foret. *Arundo Calamagrostis* juxta descriptionem et iconem egregiam Scheuchzeri invenitur in Austria, sed nunquam culmo ramoso, neque de hac ramositate ullam mentionem fecit Scheuchzerus, ut est plerumque nimis exactus.

5. *Sium latifolium.* Semina hujus sunt globosa, profunde sulcata, seminibus *Conii* simillima, nisi quod costa non sint torulosa, ut in isto. *Sium* autem, quod pro hujus varietate β habuisti, quantumvis simile, est tamen diversa species,[1]) seminibus oblongis, ad semina *Ligustici* accedentibus. *Sium tuum angustifolium,* etsi foliis ad proportionem profecto non angustioribus, quod cum *nodifloro* confundit Hallerus, habet semina parva *Apii.* Unde vel maxime patet, omnes *Umbelliferas* unius esse generis naturalis, et ne quidem ex seminibus distingui, ne dicam ex ultimis in caule foliis, seu involucris. Praeterea inter mille specimina vix unum apud nos invenietur, in quo involucra *Sii angustifolii* sint pinnatifida, sunt late lanceolata. Genera subalterna in hujus Classis ordine minus inter se differunt, quam varietates *Medicaginis polymorphae,* vel *Valerianae Locustae,* ne dicam species *Valerianae.* Enim vero estne tuum *Sium angustifolium Sium minus* Rivini, quod ad *Sison Amomum* retulit olim Dillenius? vel quomodo differunt? Plantam officinalem hodie ignoramus.

6. *Selini palustris* radix unica est valde dubia; fissam saltem semper inveni. *Selinum Austriacum* Jacquini est ab omnibus distincta species, speciosa planta, a Clusio tamen neglecta, quamvis in Austria frequens, mihi jam dudum nota, quam mea fide pro nova dedit Dus Jacquin. Cranzius deinde bona icone, et descriptione illustravit, sub nomine *Selini argentei. Selinum sylvestre* lacte turgens mihi est ignotum. *Selini Carvifolii* duae sunt species distinctae; neque enim planta Vaillantii seminis forma ad *Seseli* pertinet, quamvis ratione involucrorum conveniat. *Atamantha Cervaria,* et *Atamantha Oreoselinum* sunt omni nota, juxta tuam definitionem generis, *Selini* species, ab *Atamantha Libanotide,* et *Cretensi* magis, quam a plerisque aliis Umbelliferis diversae.

7. *Phalaris arundinacea.* Panicula florens est magis diffusa, et patens, quam graminum ulla allia; floribus tunc secundis, ut in *Dactyli glomerata,* deficientibus interdum petalis, ut in *Phal. oryzoide;* contracta, ventricosa non nisi sicco specimine convenit: contrahitur autem, quasi sensibilis, quam primum abrumpitur culmus. Ad *Phalaridem Oryzoidem* non potest simul pertinere Synonimon C. Bauh. et ad *Poam palustrem. Poa palustris Airae aquaticae* propior spiculis bifloris. *Poa distans* spiculis octifloris et novemfloris. *Poae aquaticae* etiam toto habitu proxima.

Bromus tectorum. Synonyma hujus non possunt simul stare. Icones Morisonii et Plukenetii longe alia monstrant gramina, quam tale, cujus panicula spiculis pendulis mutaret. Apud nos in siccioribus quidem, etsi non in tectis vulgaris est *Bromus,* qui *Bromus* herba Dodon.? *Festuca*

[1]) Conf. Linnaei, Mantissa plantarum altera, p. 355, et Spec. plant., ed. 2, p. 1672.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

graminea annua sterilis, spicis dependentibus. Moris., S. 8, Tab. 7, Fig. 11.

8. *Veronica fruticulosa.* Nimia varietatum credulitas inprimis obstat, quominus Flora apud Botanicos certam sedem figat, et sepositis idolis, sola colatur. *Veronicam fruticulosam* nostram, floribus constanter coeruleis, cujus specimen annecto, Tu Vir Illustris! recte determinasti foliis obtusis: sed *lanceolatum* illud, quod addidisti ex planta Halleri, cui ovatum est, quod Tibi lanceolatum, et quod ipse potius lanceolatum, vel saltem acutum pinxit, ad nostram non pertinet. Fide Clusio, Jacquino, et Joh. Bauhino, cui est NB. *Veronica saxatilis,* quam ad *alpinam* retulisti, et fauste distinguis has plantas. Etiam icon Plukenetii, Tab. 232, Fig. 5, bona est, Bauhini autem optima. Stirpem Halleri habeo ex Carniolia (nam in Austria non invenitur) et est sane diversa. *Veronicam alpinam* cognosco ex Flor. Lapp., Tab. 9, Fig. 4 quae convenit.[1]) Verbo dicam, si cum Hallero non confundimus fruticulosam erectam, foliis lanceolatis, interdum pene linearibus, acutis, floribus constanter purpureis, cum humili, procumbente, vel ascendente, foliis obtusis, fere obverse ovatis, floribus coeruleis, res erit salva. Hallerus plane miscet *Veronicam petraeam semper-virentem.* Pone, quae Tibi est *Paederota.* Enim vero etiam haec eodem modo confunditur sub specie varietatum flore coeruleo, et luteo, quas recte distinxerat Michaelius. Non ideo contendam, florum colores ad determinandas plantas ubique valere. Sed indicia distinctionis movent, et coeruleus praecipue non facile in luteum mutatur, nequidem in plantis cultis, ne dicam alpinis. Hic autem accedit habitus, et foliorum forma. Plus quoque valet color in una specie, quam in alia, plus candor in *Lilio albo,* quam scapus triphyllus in *Tulipa Gesneriana.*

9. *Verbascum Thapsioides.* Imo vero, plantam esse, quam Agerius Joh. Bauhino ex Austria retulit, assero, neque eam nisi ex descriptione Joh. Bauh. agnovissem. Sed hybridam esse vix credo. Potius darem, *Verbascum Phlomoides* hybridam, vel plane *Verbasci Thapsi* varietatem esse. In *Thapsioide* folia magis compactam habent texturam, et consistentiam, tomentoso-pulverulenta: ista folia omnia integerrima, ne quidem sunt semidecurrentia in caulem, sed inferiora, longe lanceolata; decurrunt quidem in petiolum, superiora autem, oblonga, sessilia sunt, et auriculata, Tibi forte cordata-oblonga. Rami floriferi longissimi, virgati, erecti; flores parvi, dense, et certo ordine verticillati, et, ut tuo more loquar, verticillato-spicati.

10. *Solanum virginianum,* apud Dillen. in Hort. Eltham. illud est, in quo laciniae foliorum acutae sunt, non obtusae: in *Campechiensi* saltem sunt obtusiores.

11. *Rhamni Cathartici* differentiam ex foliis nullius esse momenti nunc ipse fateor; varietas fuerit ex loco?

12. *Ceanothus africanus.* Eris ergo *Rhamni* species. Sed sive florem sive fructum respiciam, nullum est genus in Classe Tetradynamiae, Didynamiae gymnospermae, Diadelphiae, Umbelliferarum, Syngenesiae semiflosculosae, etc. etc.

---

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 316.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

quod tantum ab alio differat, quantum *Alaternus*, et *Paliurus* a *Rhamno cathartico*, et *Frangula*. Ego optarem definitionem definito semper applicari. Si fovea ad basin petalorum constituit *Ranunculum*, si antherarum appendiculum, in multis vix visibile, facit *Inulam*, cur squama ad basin petalorum non constituit genus *Rhamni?* Defectus hujus, styli tres, fructus tricoccus, siccus, nont sunt in definitione *Rhamni*. Utcunque sit, *Ceanothus africanus* notas caracteristicas habet cum *Alaterno* communes.[1])

13. *Gentiana verna*. Quod de hac dixi, ita se habet. Sed non ideo mens mea fecit, eam ad *Primulas* trahere: affinitatem monui. Sed *Primula acaulis* scapis unifloris, ob multas rationes mihi semper visa est distincta species: nec ut Maurus ab Europaeo, sed ut Simia ab Homine, vel ut ad rem loquar, ut *Calendula nudicaulis* a *C. officinali*, et plus differt. Ex anima etiam plantas discernere non licet. Maurum cum Europaeo conjungit anima rationalis, sine qua profecto foret alius speciei. Distincta etiam est *Primula*, quae *Auricula Ursi VII* Clusii, Hist., I, p. 304, Plukenet, Tab. 149, Fig. 6, foliis utrinque glabris, lanceolato-lingulatis, argute serratis, et forte plures.[2])

14. *Gentiana major purpureo flore I* Clusii talis est, qualem descripsit Clusius, et qualem esse monuit Dus Jacquin in Enumer. stirp. Aust. deinde exacte depictam dedit in Observ. bot. sub nomine *Gentianae punctatae*. Si itaque Clusio, Jacquino, et mihi aliquam habueris fidem, huic plantae nec corollam subjunges fidam, nec calycem spathaceum tribues. *Gentiana major pallido flore punctis distincto* Clusii etiam mihi relata fuit ex Alpibus Carpaticis, sed sicca; hinc de illa nihil magis concludo, quam ipse Clusius. Sed *Gentiana lutea* est ab utraque multis modis satis manifeste diversa.

15. *Astrantia minor*. *Astrantiae* tres species, quas ego novi, ut etiam *Euonymi* recte descripsit Scopoli in Flor. Carniolica. Prima autem ejus est *Sanicula*. Nunc itaque dispiciendum, an *Astrantia* 2da Scopoli, cujus icon est satis bona apud Tabernaemontanum sub nomine *Helleborines*, et apud Lobelium 664 tua sit *Astrantia minor*. Proinde quaestio in eo vertitur, an *Helleborine Sanicula* folio minore Casp. Bauh. diversa sit ab ejus *Helleborine Saniculae* facie. Non tantum recentiores, sed etiam antiquos Botanicos occupavit varietatum credulitas, hos incuria, illos nimia curiositas. Sensim sensimque revertemur ad plerasque species Bauhinorum, Tournefortii, Raji, Rivini, Seguierii et Dillenii. Dillenii nullam facile praeterirem.

16. *Bupleurum leporinum*.[3]) Illius, de quo locutus sum specimen exhibere poterit Dus Ferber. *Bupleurum rigidum* cum *falcato* a nostratibus diu confusum fuit. *Rigidum* in Austria non crescit.

17. *Peucedanum Silaus*. Per manus Do Jacquin semina Tibi olim misi sub hoc titulo: an *Apium montanum folio tenuiore* C. Bauh.? Hoc syno-

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 342.

[2]) Ibid., II, p. 348.

[3]) Conf. C. Linnaei, Epist. ad Jacquin., edidit Schreibers, Vindob. (1841), p. 31. Est *Bupleurum falcatum* L., Spec. plant., ed. 1, p. 237; ed. 2, p. 341.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

nimon junctum deinde tuo *Seseli elato* inveni in Sp. pl. pro planta Austriaca; unde conjeci, eam mihi non esse ignotam. Nunc autem fateor errorem meum. Illa, cujus semina dedi, certe nihil aliud est, quam *Seseli pratense* Rivini, et Dillen., Giess., p. 120, *Saxifraga Anglica*, facie *Seseli pratensis* Raji, Synops., *Seseli Selinoides* Jacquini, Enum., ob similitudinem cum *Seselino palustri*. Quo jure hanc Umbelliferam ad *Peucedanum* referat Dus ab Haller in Hist. Helv., Nr. 797 videat sibi. Cranzius hic non de *Selino*, sed de *Peucedano* locutus erat. Nec enim similem ullam *Peucedani* speciem existere autumo, praeter *Peucedanum Alsaticum*, quod per Austriam in locis siccis magis quam in humidis, et praecipue inter vineas montanas crescit abunde, ita ut si qua talis vinea derelicta fuerit, statim haec planta eam occupet totam, modo major, modo minor, forte a nostratibus, aliisque cum *Pseudo-Peucedano* isto *Silao*, sive *Seseli pratensi* antiquorum, Rivini, Raji et Dillenii confusa. Nam etiam hujus *Seseli pratensis* flores, quo magis solum est humidum, eo magis flavescunt, in sicco candicantes. Cultum ad eam excrescit altitudinem, quam habuit in horto tuo. Sed folia sunt sature viridia, nec nisi forte rore matutino glauca: radix profunda, perennis. Tuum *Seseli elatum* hoc esse *Seseli pratense*, nemo praeter me facile scire potuisset. Sed quemadmodum erroris auctor fui, ita etiam veritatis restauratorem me esse decet, nec errorem fateri pudet.

18. *Seseli pumilum*. Foemina, habitu magis patulo facile distinguenda, interdum habet antheras perfectas, nec tamen semper, adeoque polygama. Sed germen imperfectum in mare semper aboritur.[1]) Ceterum omnibus notis convenit cum *Pimpinella*, et quantumvis nimiam varietatum credulitatem abhorream, suspicior tamen, *Pimpinellam glaucam* ab hac non esse valde alienam; magnitudine enim variat a digitali ad semipedalem et ultra. *Seseli glaucum* cum *annuo*, et *montano* miscet Hallerus in Hist., Nr. 762. *Annuum* sine dubio intelligit, quod forte bienne est. *Montanum* non novi. Sed glaucum est certissime *Peucedanum Pannonicum* Clusii, a *Seseli annuo*, quod ille etiam varietatum nimis credulus, cum *Hippomarathro*, seu sua *Saxifraga Pannonica*, conjunxisse videtur, longe diversum.

19. *Chaerophyllum temulum*. Pro hoc icon Moris. a Te citata adeo mala est, ut ad cognoscendam plantam plus noceat, quam juvet: melius illam describit. Paulo magis commoda est icon Tabernaemontani, saltem quoad folia. Ceterum umbella hujus in omen, saltem adultiore statu erectior et strictior est, quam in aliis *Chaerophylli* speciebus. Ad *Chaerophyllum hirsutum* potius pertinet, quod hic de umbellis nubilibus dictum fuit. Ejus varietatem minorem montanam olim Dus Jacquin pro *Chaerophyllo temulo* habuit, et inde forte natum est hoc aequivocum, jam etiam ab Hallero in Hist. post Te, et juxta iconem Tabernaemontani receptum. In *Ch. temulo* radii umbellae versus centrum veluti in conum, vel cuneum constricti sunt, qua nota eam stirpem praecipue dignosco. Icon Tabernaem. forte ad *Chaerophyllum hirsutum* spectat. Sed *temuli* vera icon desideratur, nisi sit apud Petiverium, vel Rivinum, quos jam non habeo

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 357.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

ad manus. Ceterum umbellas ante florescentiam mutare, plerisque umbelliferis commune est. *Chaerophyllum aromaticum* respectu aliorum potius dicendum foret insipidum, aptius autem latifolium, et nullam habet similitudinem cum *hirsuto*, cum quo id comparasti.

20. *Veronica fruticulosa.* De ea jam dixi. Sed *Veronica acinifolia* habet ne pedunculos supra folia floralia elatos, ut in icone Vaillantii? Si ita, datur alia species admodum similis, etsi minor (nam maximum specimen quod vidi, Tibi mitto) cujus pedunculi sunt foliis floralibus breviores! et haec forte est *Veronica humilis erecta montana, flore parvo coeruleo*, Dillen., Nov. pl. sp., p. 38, et Cat. Giess., p. 47, qualis haec Tibi? Nisi constanter esset adeo minuta, erecta, et ob radicem valde tenuem, ni fallor, annua, dicerem esse varietatem *V. Serpyllifoliae*; quemadmodum *V. longifolia* mihi videtur esse varietas *Spicatae:* flos tubulosus fere idem in utraque horum posteriorum: tutius tamen est, etiam hanc distinguere, sed non ex foliis acutis, quae utique obtusiora sunt, quam apparent in icone Clusii. Quod vitium apud Iconographos frequens est, quia facilius fuit scalprum ad angulos, quam in rotunditatem ducere. Barrel. icon 681 et 682 bonae: *Veronicam* autem *maritimam* et *spuriam* distinguere plane nescio. Icones pro utraque citatae eandem monstrant plantam, easdem foliorum serraturas: variat tantum foliis latius, vel angustius lanceolatis, spicis pluribus, vel paucioribus, etiam unica; quod habet cum *spicata* commune. Datur quoque varietas foliis oppositis, vere longis, et acutis, quae ab iis, qui litteram definitionis sequuntur, et icone Clusii carent, facile posset pro *longifolia* haberi, et habita fuit. Icones, Icones bonas clamare nunquam desinam.

21. *Ligustrum sempervirens.* Vix est distincta species; nec sempervirentem vidi nisi in hortis, et ne sic quidem multum laete virentem. Ad Hortulanorum Botanicam ablegabo.

22. *Ammannia baccifera* aut non sustinet definitionem generis, aut non est *Cornelia* Arduini, calyce quadridentato,[1]) et capsula uniloculari.

23. *Linum flavum*,[2]) aliis notis a *campanulato* distinguendum: cum enim *campanulatum* peterem, *flavum*, quod apud nos abundat, ex horto Regio Parisino accepi, *campanulatum* posthac aliunde. Saepe expertus sum, multos sibi blandiri, quod hanc vel illam plantam tuam in Floras vel Hortos suos induxerint, quam nunquam viderunt, nescio, an semper eorum culpa. Idem accidere Auctori Florae Danicae praecipue doleo. His erroribus Tibi, et serae posteritati noxiis adhuc poteris ire obviam, et ex Flora Danica saltem, ubi icones loquuntur, hallucinationes istas expungere. Qualis demum erit planta, quam Miller pingit Tab. CIII, et pro tuo *Erigerone viscoso* venditat. Colitur hic in horto quodam plane similis: sed ne quidem aestate calidiore, quam poterit habere Anglia, ullam viscositatem monstrat. Millerus lubenter adminicula suae opinionis mutuatur. Habitus plantae est omnino *Conyzae squarrosae*, sed flos *Asteris*, vel, quia luteus, *Inulae*. Hallerus fere similem habet in Hist. Helv.

---

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 332.

[2]) Ibid., p. 360.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

24. *Allium Ursinum.* Si de *Allio Ursino* Clusii sermo est, quod ad *Allium sylvestre latifolium* retulit C. Bauh. certo certius est, ejus scapum esse perfecte triangularem, quod in centenis speciminibus vidi,[1]) et tetigi, nec unquam aliter. Testem etiam hic habeo Hallerum in Hist., Nr. 1228. Oculis meis tamen, et aliorum, quibus id monstravi plus fido quam Halleri auctoritati, quae non raro fallit.

25. *Ornithogalum umbellatum.* Quamvis omnes Florarum nostri aevi Scriptores, etiam illi, qui opera tua carpere gestiunt, tuam definitionem exscripserint, non minus tamen certum est, stamina omnia hujus *Ornithogali* esse subulata, uti etiam optime picta sunt in icone Renealmii, quam citas. Id Dnis Jacquin et Scopoli, cum casus nos in loco conjunxisset, ubi forte fortuna *Ornithogalum* istud se conspectui obtulerat, lepide exprobavi; atque illi ab initio vix oculis suis lynceis credebant: sed nimis manifeste apparebat, et ne quidem quidquam subemarginat(ionis) poterant in his staminibus invenire, omni studio quaerentes.

26. *Anagallidi latifolia:* folia tribuisti obtusiuscula: in icone Barrelierii pro synonimo allata sunt acutissima, et sic etiam in planta, quae hac icone optime declaratur. *Galii Molluginis* folia ovato-linearia plane non capio, et vix dicerem lanceolato-linearia. Scientia botanica non debet Planimetriam invertere figuris curvo recti lineis. Praeterea Lobelii icon pro hoc *Galio* citata sine dubio pertinet ad *Galium sylvaticum.*

27. *Asphodelus fistulosus.*[2]) *Asphodeli* caracterem nonnulli posuerunt in petalis basi connatis, quae nota, ceteris paribus, ad distinctionem ab *Anthericis, Scillis,* et *Ornithogalis,* foret satis praecisa. Natura ex individuis species tantum facit in concreto, genera nulla in abstracto. Haec non existunt, nisi in conceptu intellectus humani, suntque proinde arbitraria, et artificialia. Limites itaque ponat intellectus sibi qualescunque, ubi nullos posuit infinita ars Dei, natura, sed simplices, definitos, stabiles, et nudo oculo visibiles, quemadmodum post Rivinum et Dillenium Tu, Vir celeberrime, fecisti, praecipue in ultimis Editionibus Syst. Nat. Tum autem id postulo, ut cuilibet speciei applicari possit definitio, sive idea abstracta generis, ne perpetuae nascantur finium regundorum lites. Multiplicentur autem genera, donec hanc metam attingamus. Sic distinctas habebimus plantarum ideas, et nomina distincta. Sed impossibile est, complexum idearum plurium in reservata mente aliorum divinare, et totum nexum naturae in singulis hujus catenae articulis contemplari, ne dicam, in fallaci speculo ingenii humani perspicere. Vel si hoc Systema analyticum minus placet, contrahantur genera. Sint omnes Asperifoliae, omnes Liliaceae, omnes Gramineae, omnes Didynamae gymnospermae, omnes Didynamae angiospermae, omnes Tetradynamae, omnes Calicostemones polystemones, omnes Polystemones polyangiae, omnes Orchideae, omnes Syngeneticae planipetalae, omnes Compositae tubulosae, sint, inquam, unius generis, sive classis naturalis, et militent aliae, tanquam Velites,

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 363.
[2]) Ibid., p. 365.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

extra classem. Sed distribuantur per ordines (quod idem est ac si dicerem genera subalterna artificialia, nisi certo nomine generico carerent) et describantur exacte species singulae V. gr. Umbelliferarum, Liliacearum etc., iconibus illustratae. Hoc quidem foret Systema magis naturale; at longe difficilius, et ad artem eo minus utile, quo minus artificiale, quo magis naturale. Simul autem hoc et illud eodem filo nectere, idem est, ac si quis vellet analysin includere synthesi, vel separare, quae natura conjunxit, et conjungere, quae separavit.

28. *Leontice Leontopetalon.* Plantam siccam habeo, quam suspicor ex habitu eam esse. Fructus in umbella fere perfecta, sed trigonus, quasi *Rumicis,* vel *Polygoni.*[1]) Hinc dubium, de quo me certiorem fieri optassem.

29. *Polygonum orientale,* vulgo crescit foliis ovatis integerrimis. Sed in hortis nonnullorum hic colitur planta simillima foliis dentato-serratis, inferioribus cordatis. An mera varietas? Millerus aliam fecit pentandram, Tu eandem, uti videtur, heptandram; an eadem? *Polygoni amphibii* varietates forte etiam diversae species sunt. Tutius mihi videtur distinguere, quam confundere: *aquatica* planta folia habet longe petiolata, *terrestris* brevissime, et pene sessilia.[2]) Profecto, *Menthae* species nonnullae, staminibus corolla longioribus, brevioribus, vel aequalibus, minus differunt. In his enim stamina cum aetate excrescere in eadem planta observavi, quod in *Polygono amphibio* non contingit. Et siquidem de *Menthis* loquor; qualis Tibi est *Mentha palustris verticillata* Dillen., Giess., p. 168. Plantam puto me invenisse, et in hac stamina sunt corolla modo longiora, modo breviora. Respondebis forte, et merito, eam non satis determinatam esse a Dillenio. Id quidem concedo, sed saltem *Mentha* erit ex definitione Dillenii, et mihi tantisper erit *Mentha* staminibus inaequalibus: an satis? non puto; sed *Mentha* est certo. Quis vero nisi felicissima conjectura ex solo caule acute quadrangulo assequi poterit, *Hysopum Nepetoidem* esse *Hysopum:* et quot non sunt plantae in hac classe caule acute quadrangulo? Id saltem vellem, ut si genus artificiale in classe naturali non praecise definitum sit, et ex uno genere naturali subalterna plura creare placuerit, species habitu diversae, quae nota definita generis destituuntur, descriptione vel icone eo reddantur certiores. Ignosce, Vir Illustris, haec Tibi, non contra Te scribo. Nemo mortalium perfectionem operum tuorum in augmentum scientiarum, illustrationemque nominis tui in gloriam gentium nostrarum Septentrionalium magis optat, quam ego, et vellem, ut in re botanica Te nemo surgat major. Si eam reliqueris imperfectam, post Te diu jacebit. Nam in hanc Scientiam raro incidunt ingenia tuo comparanda.

„— — — fungor vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi."

30. *Saxifraga hypnoides,* a nostratibus cum cespitosa confusa fuit, nec in Austria crescit. Differentiam video, vix nisi bonis iconibus declarandam. Si tamen affirmasses, iconem *hypnoidis* apud Morisonium non esse malam ad distinc-

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 365.
[2]) Ibid., p. 376.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

tionem cespitosae apud Seguierium, prius me hoc dubio liberassem. Si verum est, quod nihil sit in intellectu, quod non ante fuit in sensu, id de rebus, quae tantum forma externa distinguuntur, erit verissimum.

31. *Silene quadrifida,*[1]) modo pentagyna, modo tetragyna est, vix unquam trigyna, quadridentata potius quam quadrifida; nam etiam in icone Clusii petala sunt nimis profunde incisa. Datur ejus varietas, vel alia species minor, petalis tantum leviter, et irregulariter erosis, etiam multo minoribus, alias per omnia, etiam numero stylorum similis, de qua obiter ita Clusius, Hist., p. 291, aliud ejus genus, multo minoribus et angustioribus foliis, minore etiam flore, ceteris notis non dispar. Est forte eadem planta junior; nam ego eam iisdem locis mixtam cum priore inveni; Clusius alio loco: notari posset ad inquirendum ulterius.

32. *Cucubalus viscosus,* primi anni in Horto imperiali praecox ex cultura fuit monstrum, scapis radicalibus brevissimis, unifloris, inter folia radicalia conferta, staminibus decem, stylis duobus. Lusus naturae, non statim planta hybrida ex Matre *Saponaria.* Nam secundo, et sequentibus annis ex radice vera apparuit planta perfecta. *Dianthus, Saponaria, Gypsophila, Silene, Cucubalus, Lychnis* et *Agrostemma* unum constituunt genus naturale. Mihi autem placent genera artificialia; nam adeo, quae me sensim natura docet, non egeo homine magistro: qui autem artem plantas cognoscendi certam monstrat, mihi facit otium, quem admodum Te fecisse gratus agnosco. Haereo tantum, an Sexus ad hanc artem pertineat? si ita, *Lychnis dioica* foret in *Dioecia;* sin minus *Hippophaë* erit specie *Eleagni.* Systema ex staminum et pistillorum numero, vel saltem proportione ad partes Perianthii in utroque casu posset manere. Ex hac proportione Medicus quidam Hungarus, nomine Wernischeck, tua genera in certum ordinem redigere conatus est, qui forte non displicebit.[2]) Sed bonus ille vir non erat satis Botanicus pro tam arduo ausu.

33. *Cucubalus pumilio.* De hoc nihil affirmo. Missa quidem mihi fuit a viro Botanices gnaro[3]) pro specie *Silenes.* Sed nec in siccis speciminibus, nec in icone Clusii coronam corollae perspicere valeo; et nunc interrogatus ille, qui miserat, nihil respondit. Quare tutius duco, eam inter *Cucubalos* relinquere.

34. *Alsine mucronata,* et *Arenaria fasciculata.* Ea, cujus specimina hic addo, certe est decandra, etsi antherae ab initio per paria cohaereant in quadam quasi Syngenesia: sed fotu Solis mox explicantur. Mihi videtur eadem ac illa, quam Dus ab Haller facit pentandram Hist., Nr. 870, Tab. XVII, Fig. 2. Non usque adeo varietatum credulitatem abhorreo, quin certas notas differentiae quaeram.

35. *Spergula arvensis* itaque variat floribus pentandris, et decandris, ut *Arenaria rubra.* Sed etiam Vaillantius illi quinque stamina tribuit in Bot. Paris., p. 8, ubi est *Alsine Spergula dicta, major.*

---

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 385.

[2]) J. Wernischeck, „Genera plantarum ad facilius consequendam earum notitiam secundum numerum laciniarum corollae disposita". Vindob., 1763 (ed. 2, 1764).

[3]) Xaver v. Wulfen. Conf. Epist. II.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

36. *Sempervivum globiferum.* Sub hoc intelligo *Cotyledonem alteram II* Clusii, Hist., 2, p. 63, quam ad *hirtum* retulisti. Hoc est hexandrum, hexagynum, hexapetalum. Ingenti copia in omnibus montibus Saxosis Austriae reperitur. Alterum, quod magis hirtum est, et a me ideo et quia in Austria non crescit, pro *hirto* habetur, non vidi nisi in hortis cultum, et hoc est dodecandrum, staminibus alterne brevioribus, hexagynum, hexapetalum, petalis margine et apice laceris.[1])

37. *Potentilla nitida.* Tuum specimen videtur esse lusus praeter naturam: nam nemo praeterea in hac invenit folia quinata. Nec unquam plantam agnovissem, nisi Bocconium indicasses. Hinc etiam factum est, ut illis, qui hoc Auctore carent, ignota, et mihi pro nova specie missa fuerit. Scopoli in Annis suis Historico-Naturalibus etiam pro nova dedit sub nomine *Potentilla Tyrolensis*, qua de re eum jam monui. Utcunque sit, in ordine *Potentillarum* foliis quinatis manere nequit. Posteri, componenter iconem et descriptionem Bocconii cum tua, semper quaererent, an *Potentilla nitida* Linnaei? et sine Bocconio quaererint, *Potentilla nitida* Linnaei quid?[2])

38. *Thalictrum minus.* Stirpem, quam hic habemus pro *Thalictro minore* exhibere Tibi poterit Dus Ferber. Est forte alia species, Tibi, ut nobis tua, ignota. Huc etiam nempe ad *Thalictrum minus*, suum *Thalictrum alpinum minus saxatile, Rutae folio, staminibus luteis*, ipse retulit Seguierius in emendandis, Tom. III, p. 307.[3]) Sed hoc, et Dodonaei *Thalictrum minus*, foliorum lobis acutius sectis, et ad similitudinem tuae definitionis aliquomodo sexpartitis, videtur a nostro nonnihil diversum. Si nostrum varietas est, ut pene crediderim, species foliolis sexpartitis praecise determinari nequit, si autem species distincta, foliolis, inferioribus saltem, obtuse trilobis, et quadrilobis, culpa nostra erit, quod hactenus eam pro *Thalictro minore*, seu ejus varietate habuerimus. Cranzius satis exacte plantam descripsit. Donec utramque viderim, judicium suspendam. Plures in Austria habemus *Thalictri* species, magis distinctas, et ego adhuc plures aliunde, quas ad tuas referre nescimus. Ceterum numerus certus pro incerto in re Botanica magnas saepe turbas excitat, praecipue in locustis graminum et *Pois*.

39. *Adonis vernalis.* Planta in montibus nostris ubique frequentissima, et inter vernales fere prima, nunquam duodecim, quindecim raro, plerumque autem plura 16, 17 et ultra monstrat petala.

40. *Ajuga Genevensis* illa erit, quam nostrates pro *pyramidali* habuerunt: variat flore coeruleo, purpureo, et carneo, et quod singulare, hujus etiam sicca magis tenax est, quam aliorum colorum. *Pyramidalem* nondum vidi; *orientalem* habemus in hortis.

41. *Anastatica Syriaca* ex tua mente, ni fallor, foret *Myagri* species; ex mente Tournefortii autem *Alyssum*, uti *Myagrum sativum* et *paniculatum*.

---

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 395.
[2]) Ibid., p. 400.
[3]) Ibid., p. 407.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

Ex mea opinione omnes Tetradynamae sunt unius generis naturalis, quovis modo artificiale determinate distinguendae. Sed si distinguendae, cur *Bunias, Crambe,* et *Isatis* ad Siliquosas potius, quam ad Siliculosas pertinent? *Crambe hispanica* sane in ordine Siliquosarum absconditur, non revelatur, et ab omnibus inter Siliculosas frustra quaeritur; ideo etiam a D° Jacquin pro nova specie *Myagri* edita. *Anastaticae Syriacae* ramulum hic jungo cum fructu.[1]) Icon Bocconii in Mus., Tab. 98 bona est; meliorem tamen mox dabit Jacquin. A definitione *Anastatica* magis aliena est haec species quam ulla alia. Quare Cranzius noster, se *Anastaticam Hierechuntinam* nunquam vidisse satis prodit, cum contendat, ejus esse meram varietatem. Sed ille etiam in prima Editione suae Materiae Medicae oleum Olivarum parabat ex *Eleagno* Linnaei. Multas tamen plantas recte descripsit iste nostri aevi Matthiolus Pardalianches, haud ubique contemnendus. † Vide folium annexum.

---

[1]) Conf. C. Linnaei Epist. ad Jacquin., edidit Schreibers, Vindob. (1841), p. 116.

† De *Anastatica Syriaca* sic ratiocinor: Aut *Silicula retusa,* margine coronata, constituit Genus *Anastaticae,* aut non constituit: si ita, *Anastatica Syriaca,* hactenus sic dicta, non est *Anastatica;* sin minus, *Anastatica Hierechuntina* non magis est *Anastatica,* quam *Syriaca,* vel quaelibet alia species *Alyssi* Tournefortiani, et aut omnia *Alyssa* sunt *Anastaticae,* aut omnes *Anastaticae* sunt *Alyssa.* Si, inquam, singularis illa forma pedis biungulati pecoris in fructu *Anastaticae Hierechuntinae* non obstat, quo minus *Anastatica Syriaca,* fructu plane dissimili, qui caput aviculae simulat, tamen ad unum et idem genus subalternum pertineat, eadem forma pedis biungulati pecoris nec obstat, quo minus *Anastatica Hierechuntina* simul cum *Syriaca* pertineat ad genus *Alyssi,* vel, si mavis, ad genus *Myagri;* quin imo, ad genus cujuscunque Tetradynamae, saltem Siliculosae. Qui itaque *Anastaticam Syriacam* cum *Hierechuntina* conjungeret, quam maxime omnia genera subalterna hujus Classis, distinctionumque limites genericos destrueret, proinde meam confirmaret opinionem, omnes Tetradynamas unius esse generis naturalis, non nisi in species ex differentiis specificis distribuendi; cum minus inter se differant, quam varietates putatae *Medicaginis polymorphae,* aut species *Valerianae.* Simul ex forma fructus, et habitus aliqua similitudine in aliis partibus, genera velle combinare, idem est, ac si quis vellet *Valerianam Sibiricam* cum *Scabiosis* conjungere, aut ex ungula pecoris facere caput Avis. Genera ante species certo statuenda, adeoque non vage, et indefinite, sed aut certis notis distinguenda, aut nota communi conjungenda sunt: quod ad distinctionem unius pro ratione sufficiente assumitur, etiam in alio pro ratione sufficiente haberi debet, et quod non sufficit in uno, nec sufficit in altero. Quae sunt aequalia uni tertio, inter se sunt aequalia, et vicissim. Nisi principia Philosophiae ad Scientiam Botanicam valeant, disputabitur aeterne de lana caprina, et de entibus rationis; tum maxime, cum ex uno genere naturali plura facere contendamus, quae sine certa lege ab ingenio et arbitrio nostro pendeant. Diversitas formae et structurae in fructu, pro Classe Tetradynamiae, distinctionis lex erit, si ulla.

Ne vacua relinquatur haec pagina, de *Lichenibus* pauca addere incidit. Speciem Tibi exhibere poterit Dus Ferber a me acceptam, quam pro *Lichene nivali* habueram, ille autem eam non esse asseruit. Quae Tibi sit scire optarem: Nam speciebus, et nominibus tuis ita assuefactus sum, ut vegetabile, quod in tuis non reperitur, a me quasi pro nihilo habeatur. Pulcherrimum est illud, de quo loquor, modo plane candidum, modo nonnihil sulphureum, velut Porcellana Saxonica; ceterum definitio *nivalis* illi posset convenire et provenit in Saxis. Praeterea apud nos in arboribus Sylvarum vulgaris est *Lichen,* cui optime convenit definitio *Lichenis glauci:* sed gummeum illum splendorem, quem illi tribuit post Dillenium Dus ab Haller, non percipio, nec unquam etsi *L. caperatum* ille plerumque socium, cum scutellis praeter farinam in margine inveni. Nescio etiam, quomodo a *Lichenoide cumatili,* Dillen., Tab. XXVI, Fig. 99, quod in tuis non offendo, differat. Icon Vaillantii Tab. XXI, Fig. 13, videtur ad *glaucum* pertinere, et melius exprimit illum, quem pro tali habeo, quam Dillen. Tab. XXV, Fig. 96. *Lichen Pulmonarius* mihi videtur esse omnium maxime coriaceus, adeoque ad eum ordinem spectare, in quo militat *Lichen caninus. Lichenem,* qui *Lichenoides* Dillen.,

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

42. *Thlaspi montanum II* et *III pumilum* Clusii, profecto est eadem planta, et in utraque sunt petala calyce majora. Icon *pumili* ex hac parte aliquomodo fallit, et ne quidem usque adeo fallit. *Pumilum* non tantum in Alpibus, sed etiam in subalpinis cum *montano* mixtum saepe vidi. Opposita juxta se posita magis elucescunt: nullam inveni veram differentiam, etsi varietatum haud credulus. Si itaque datur species petalis longitudine calycis, haec ad nostram non pertinet.

43. *Cardamine hirsuta.* Concludo, diversas, et forte tres esse species, tetrandram, et duas hexandras. Una ex iis, quae hexandrae sunt, mihi visa fuit etiam foliis, et habitu distincta, neutiquam hirsuta. Quare plantam a me missam, quam olim scripsisti D° Jacquin esse varietatem *Cardamines hirsutae*, semper, et adhuc separatam a tuis servo. Est *Sisymbrium* Scopoli, Flor. Carniol., p. 515, quod ille satis bene describit, ut intelligatur esse *Cardamines* species aliis; etsi pinnas foliorum oblongas non dicerem, quae potius subrotundae sunt. Pro suo *Sysimbrio* ipse mihi plantam confirmavit, quam ille in Carniolia, ego in Styria inveni.

44. *Cardamine petraea.* Valvulae non revolvuntur, etsi a basi dehiscant.[1]) Hinc Cranzius eam nobis pro *Arabi Thaliana* obtrudere satagit; indicio, quod non magis *Arabin Thalianam*, quam *Anastaticam Hierochuntinam* cognoscat. Ceterum iconem et descriptionem plantae accuratam exhibuit.

45. *Turritis alpina* qualis sit, nunc ipse D^us^ Jacquin nescit: neque ego aliam, quam *glabram*, et *hirsutam* novi. Quomodo *alpina* differat ab *hirsuta*, explicasti; sed ipsa definitione cum *glabra* fere convenit, quare de discrimine ab hac potius agitur.

46. *Caryophyllus sylvestris I* Clusii, apud Clusium naturali habitu et magnitudine pictus, cum *plumariis* nullam habet similitudinem rara species, quae quod sciam, non nisi in unico Austriae monte invenitur. Sed *plumarii* a *superbis* non ita facile distinguuntur: mihi videntur esse merae varietates ex loco. In humidis magis diffusi sunt, in montibus strictiores: distinguere tamen per me licebit, quia tutius.

47. *Quercus Robur.* In tota Austria non reperitur *Quercus*, cujus fructus pediculo ulli, seu longo, seu brevi, seu vel brevissimo insideat. Sed glandium

---

Tab. XIX, Fig. 25, in Austriae saxis inveni: illum non possum ad *Lichenem cristatum* referre, cum scutella sint parvula, nec folio majore; substantia est gelatinosa, ut in aliquibus *Pezizae* speciebus N. Gr. *cornucopioides*, vid. Halleri Hist., Nr. 2039; sed facies *Lichenibus* nimis affinis; forte varietas *cristati*, mutata definitione ex ciliis et scutellis? nam vix tantum differunt, quantum varietates *Marchantiae polymorphae*, vel *Lichenis Langhiferini, Prunastri, Islandici* etc. Iterum, iterumque vale! Ex meis observationibus facies, quidquid placuerit: responsum tantum peto ad ea, quibus lineas rubras subduxi. *Bryum* tuum *simplex* utrum est Halleri Hist., Nr. 1808, vel Nr. 1813? Mira est hujus operis confusio, praecipue in citationibus; etiam tabulae 45 et 46 transpositae et inverse citantur. Quis autem poterit *Hypnum* ejus Nr. 1780, si folia imbricata caules tegunt, et teretes reddunt, cum icone Tab. seu 45, seu 46, Fig. 4, componere? Pro Nr. 1800 et 1801, bis citat Oederum; etiam propriam iconem, quae ab aliorum valde aliena est. In *Muscis* quid sibi velit, nescire videtur, et sibi solus sapere. Nominum perpetua mutatio emendationibus pallium est.

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 427.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

calyces sunt arcte et glomeratim sessiles, angulis ramorum velut innati. Est itaque *Platyphyllos* Renealmii, quam ab ejus *Hemeride*, quae vestra est, certissime credo diversam, et Renealmii icones etiam in foliis aliquam monstrant differentiam. *Quercus Cerris* apud nos est vulgaris. *Pinum sylvestrem*, conis biennibus terminalibus, etiam a *Pinu Genevensi*, Joh. Bauh., conis annuis lateralibus, puto satis differre. Discrimen me docuit ipse habitus et facies arborum, in eodem saepe loco nascentium. Reliqua didici non a Botanicis, sed a Rusticis, et Venatoribus, eosque vera dicere comperi. Hodie *Muscos* et *Fucos* accuratius distinguimus, quam *Quercus* et *Pinos*. *Muscus* quidam *antheris lateralibus* plane foret alius generis, quam *Muscus antheris terminalibus*. *Pinus fructu annuo laterali* habetur pro varietate *Pini fructu bienni terminali*.

48. *Bryonia alba*. Non alia, quam dioica, baccis rubris, in Austria, nec in Helvetia, teste Hallero, nec in Italia, teste Pontedera, invenitur, nec alteram monoicam, baccis nigris, unquam vidi.[1]) Folia nostrae hic jungo, quae scabra sunt, angulata potius quam palmata, varia tamen saepe in eadem stirpe. Icones Fuchsii et Dodonaei ad hanc pertinent: alterius icon desideratur. Millerus, capram et caulem, ut ajunt, salvare cupiens, facit plantas juniores dioicas, vetustiores monoicas. Si hoc est, nulla invenitur vetusta in Austria, Helvetia et Italia. An ergo ea, quae habet baccas nigras, etiam dioica, dum junior? Miller saepe id videt, quod vult, et non videt, quod se non videre putat. Hoc doleo, nam icones ejus pleraeque sunt egregiae. Pictori, atque Botanico, quid libet, audendi non hic fuit aequo potestas. Tamen etiam Pictor falsus fuit in petalis integris *Rudbeckiae hirtae*.

49. *Dryas pentapetala*. Ex Alpibus Carpaticis allata mihi fuit planta, quae utrum sit *Dryas pentapetala*, an *Geum reptans*, nescio. Id autem certum est, pro *Caryophyllata pentaphyllea*, Joh. Bauh., Hist., 2, p. 398, nullam posse allegari figuram, cum nulla adsit, et ipse Bauhinus expressis verbis rationem dicat, cur figuram ommisit.

50. *Mespilus Canadensis*. De hac arbore nihil affirmo. Cultam tantum et insitam aliquam vidi, quam hanc esse existimavi: forte erraverim. Eandem arborem Dus Jacquin *Crataegum punctatam* fecit in opere nuper edito, quod inscripsit „Hortum Botanicum Vindobonensem“.

51. *Adianthum novum* Breynii. Est *Asplenii* species. Icon Breynii egregia; etiam Plukenet Tab. LXXIII, Fig. 5, non mala. Est *Asplenium* Halleri Hist., Nr. 1690.

52. *Filix*, Plukenet, Tab. 179, habet frondem simpliciter pinnatam: Tabula autem 180, Fig. 1 frondem bipinnatam. Sic etiam plantae, quas his figuris similes possideo: ac prior quidem icon pro simpliciter pinnata melior est, quam posterior pro bipinnata: nam pinnulae *Polypodii aculeati* non ita remotae sunt. Pro hoc bona est icon Moris. S. 14, Tab. 3, Fig. 15. Potius crederem priorem Plukenetii iconem, et meam plantam pertinere ad *Polypodium Lonchitidem*, nisi sit singularis species hujus, vel alius generis, ut mihi videtur.

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 498.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

Polypod. aculeatum et *Lonchitis*, facie solita, ambo alias inveniuntur in Austria, et mihi non sunt ignota.

53. *Polypodium cristatum* omnino est tripinnatum, nec subbipinnatum. Sic etiam folia infima in icone Plukenetii. Vid. Haller, Hist., Nr. 1705. Sed hujus nulla, quod sciam, exstat figura apta, nec facile exstabit: nam frondes ex eadem radice mere ludunt, inferne tamen semper tripinnatae. Morisonii S. 14, Tab. 3, Fig. 11 vix poterit huc referri, eandemque ad *Polyp. Filicem foeminam* retulit Hallerus, quamvis neque huic satis conveniat. Lubentius crederem, Fig. 7, seu *Filicem mollem* etc., aliquomodo simulare *Polyp. cristatum. Polypodium* seu *fragile*, seu *Regium*, illud nempe, quod *Austriacum* est, et hactenus habuimus pro *fragili*, satis bene exprimitur a Morisonio S. 14, Tab. 4, Fig. 28. *Polyp. Dryopteris* autem optime S. 14, Tab. 4, Fig. 19. A *Polypodio Phegopteri* ego excluderem binas Morisonii S. 14, Tab. 4, Fig. 17, quarum priori 17 tantum ad *Acrosticum Thelypterin* bona est. Pro *Polyp. Filice foemina* illud habeo, quod egregie exprimitur icone Moris. S. 14, Tab. 3, Fig. 8. Hanc iconem sine dubio intellexit Hallerus, cum citaret Plukenet: Tab. 180, Fig. 4, et, ut dicit, melius 8. Nam apud Plukenet: in ea Tabula nulla est Fig. 8, Auctores, nescio quo fato, saepe id agere videntur, ut plantae confundantur. *Polyp. Rhaetici* quis nobis monstrabit iconem, vel veram differentiam? *Filices* paucas habemus in Europa, nec tamen determinatas. Nonnullas possideo, quas ad tuas non valeo reducere; Americanas etiam aliquot, quas minus curo, et inter has aliquam, quae icone Plukenet, Tab. 30, Fig. 2, designatur: *Polypodium* est: an *Polypodium unitum?* sed hirsutiem in eo nullam percipio: similitudinem tamen etiam aliquam habet cum icone Plukenetii Tab. 244, Fig. 1. Botanicis, et mihi ipsi vellem hanc legem imponi, ne ullam plantam Indicam tangerent, donec Europaeas certas reddiderint, ne fiat aliquando, ut Americani nobis palmam Florae praeripiant, et Novi Mundi stirpes melius cognoscant, quam Antiqui Orbis Coloni suas.

54. *Hypnum abietinum.* Nullum vegetabile in Austria magis abundat, quam *Muscus*, qui optime declaratur Vaillantii Bot. Paris., Tab. XXIX, Fig. 12, et Dillen. Sylv., Tab. XXXV, Fig. 17, in incultis, apricis praecipue, et in ipso glareoso Suburbiorum vallo reperitur ubique. Sed ego jam per sedecim annos florescentiam ejus frustra quaero, et ad quaerendum omnes, qui Floram nostram colunt, excitavi. Vaillantio est *Muscus palustris*, foliis et flagellis rigidiusculis, *seminibus in foliorum alis*, p. 141. Dillenius eundem *Muscum* sine flore et fructu exhibuit. Hallero in Hist. est *Hypnum* Nr. 1762. Sed etiam illi, qui olim in Enum. Helv. cum *Hypno Crista Castrense* confuderat, nunc florescentia ignoratur. Morisonius illum non in paludibus, nec in sylvis Abietinis, sed, ut ego, in siccis, et apricis offendit, etsi occupet omne solum; nec ille de florescentia quidquam addit. Dus Scopoli mihi aliquando *Muscum* pro *Hypno Abietino* exhibuit cum flore vel fructu, qualem illi tribuit; sed hic certe non erat: nec tamen edisseram, qualis fuerit: accedebat ad *H. praelongum.* Nubem pro Junone saepe amplectimur. Icon Vaillantii Tab. XXIX, Fig. 12 loquitur: ipsum Vaillantium, vel Editorem operis ejus deceptum fuisse, et diversas miscuisse

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

plantas, praeter alia duplex, quam pro eadem venditat, testatur, et iterum alia icon Tab. XXVIII, Fig. 10, quae ad textum non refertur. Quid hic statuendum de quadrato, cubo, quarta, et quinta potentia difficultatum, et confusionis? Nullum *Muscum* melius cognosco, quam istum adeo ignotum: folia secunda, ut in altera icone Vaillantii Tab. XXIII, Fig. 12, nunquam habet, etsi habitus idem sit. Jungo specimina *Musci* nostri. Addo etiam aliud specimen *Hypni* Dillen. Tab. LII, Fig. 60, Halleri Hist., Nr. 1753, quod apud nos in montanis floret mensi Octobri. Antheris Myosuroidi, foliis et habitu magis ad Sericeum accedit. Hoc in tuis non invenio; nec *Hypnum* Dillen. 31, neque *Brya* ista unguiculata, Dill. Nr. 47, 48, et 49, aliaque. De synonimis *Hypni undulati* et *crispi* inter Te et Hallerum non convenit. Halleri, quod *crispum* erit, apud nos est vulgare in sylvis: *undulatum* non vidi; sed ex icone Dillenii distinguitur foliis acutioribus; ramis, pedunculis, et antheris longioribus. Idem dissensus inter vos est circa *Hypnum Cristam castrensem,* cum ille iconem Vaillantii ad aliam speciem referat. Ego autem semper pro *Crista castrensi* eam habui, quae icone Vaillantii a Te citata optime exprimitur; nec video differentiam, quam Hallerus inter iconem Dillenii Tab. 36, Fig. 20, et Vaillantii Tab. 27, Fig. 14 statuit. Sed cum iterum dissentiat circa synonima *Hypni proliferi,* et *parietini:* nec Te, nec illum, bene autem Dillenium intelligo, et comparando utramque speciem, video unam foliis minoribus non splendentibus, et alteram foliis majoribus splendentibus. Ergo Tu recte ex verbis Dillenii iconem Tab. 35, Fig. 13, ad *parietinum,* et Fig. 14, ad *proliferum* retulisti. Sed ipsae icones fallunt, cum illud *Hypnum,* quod habet folia splendentia majora, plerumque magis proliferum, et interrupte non continuato pinnatum sit, quam illud, quod habet folia minora, arcte imbricata, et ideo non splendentia, ut cernere poteris ex adjunctis hic speciminibus meis.[1]) Ideo omnes, etiam doctiores Botanici, et inter hos Scopoli, qui *H. proliferum* cum *parietino* invertit, tuam definitionem sequentes, pro *Hypno prolifero* mihi miserunt, aut monstrarunt plantam foliis majoribus splendentibus; eoque magis, quod illa nunquam ad parietes extra sylvas, altera autem citius domibus et sepibus vicina in apricis invenietur. Quare et nomina ipsa, et definitiones, et icones hic concurrunt ad inducendum nos in errorem. Fatum voluit, ut pro pingendo *Hypno Tamarisci* foliis majoribus splendentibus incideret Dillenius in specimen *plano pinnatum continuatum, et pro Hypno Tamarisci foliis minoribus non splendentibus ceperit* specimen interrupte pinnatum, nec continuatum, etsi res se saepius habeat modo plane contrario. Ex figuris et textu Vaillantii nihil potest concludi, et doleo, istum virum, qui Dillenio vix fuisset secundus, ante operis editionem praematura morte abreptum fuisse. Vellem saltem ut recentiores in *Muscis* investigandis Dillenii vestigia pressius sequerentur. Cum ego *Muscum* quendam inveniam, eum statim apud Dillenium, et deinde nomen Dillenii in aliorum synonimis exquiro: aliam viam ingressus vix unquam ad scopum pervenio. *Hypnum rugosum* apud Dillenium offendo *Scorpioidi* et *adunco* proximum,

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 507.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

et ideo illud, antequam in Syst. Nat., Edit. 12, inter surculos vagos invenirem, in meis roposueram sub hoc titulo: *Hypnum* 24 Dillenii, an Linnaeo *H. Scorpioides* varietas? et sane ad hoc propius, quam ad *lucens* et *undulatum* accedit. *Hypnum aduncum* plerique ex tua determinatione cum *Cupressini* varietatibus confundunt. *H. Sciuroides* et *pilaceum* ex unico surculo tereti, etiam in siccis speciminibus, non ex surculis confertis agnoscitur. *Hypnum cuspidatum* cuspidem tantum habet teretem; folia sunt exstantia, ut dixit Dillenius: nec *Hyp. curtipendulum* et *riparium* inter surculos teretes exspectarem. Ab *Hypno rutabulo* distinctae species sunt *Hypnum dentatum* et *ruscifolium* Dillenii Tab. XXXVIII, Fig. 30 et 31, quae quidem Hallerus in Hist., Nr. 1731 conjungit. Sed Dillenio, etsi unico testi, plus quam semiplenam fidem habeo et de *ruscifolio*, foliis gibbis, et concavis, cuius specimina hic addo, Te judicem facio. Vix illud aquaticum est, quod Dus Weiss in supero opusculo *rusciforme* vocat. *Hypnum* Halleri Hist., Nr. 1742 sine dubio est distincta species. *Hypnum* autem ejusdem Nr. 1761, verum esse *Hypnum* dubito. Habitu quidem nonnihil ad *praelongum* accedit, sed propius ad *Fontinalem antipyreticam*. Enim vero hac ipsa Hallero *Hypnum* est; et sit, modo per aliquem ordinem *Muscorum* possit reperiri. De reliquis *Muscis*, si magna licet componere parvis, praestat, ut Sallustius de Carthagine, tacere, quam pauca dicere. Dillenii speciebus omnibus ejus ordine dispositis si tua auctoritate nomina appellativa fixa imposueris, nihil habebo, quod ultra desiderem.

55. *Acrosticum Thelypteris*, mea opinione, melius stabit inter *Acrostica*, quam ad mentem Halleri inter *Polypodia:* nam finem fructificationis magis considero, quam initium et in omnibus *Acrosticis*, ut fructificatio ab aliquo incipiat puncto, necesse est. Hic iterum numeros erroneos citationibus Joh. Bauh. et Plukenetii affigit Dus ab Haller, et sic fere ubique, nec ullibi sibi constat in numeris et nominibus. In quolibet ejus opere, et in qualibet pagina ejusdem operis, quoties recurrit aliqua Planta, toties aliud sortitur nomen, ut ne quidem in eodem textu, quid sibi velit, scire possit. In omnibus tamen suis libris Botanicis pro *Pediculari sylvatica* citat *Pedicularem minorem* Rivini, quae apud Rivinum nulla adest. Sic otium, quod aliorum festinatio et incuria lucratur, amittimus. Nihil magis nocet studio Botanices, quam vaga ista nomina, quibus nonnulli contendunt, ipsas stirpium descriptiones includere. Hoc mihi idem esse videtur, ac si quis vellet imaginem Petri vel Pauli in his nominibus contemplari. Aeterna tua laus erit, nomina fixa plantis imposuisse, id tantum cavendum esse censeo, ne ipsum nomen inducat in errorem. Quod eo minus faciet, quo minus ad definitionem rei trahatur, et quo minus fuerit hieroglyphicum. Planta, quae non fuerit baptisata, non intrabit in Regnum vegetabile.

56. *Asplenium Ceterach* etiam mihi semper visum est ad *Acrostica* pertinere, sicubi haec genera distinguenda sint. Nam et *Filices* omnes unum constituunt genus naturale simplicissimum, unde fit, ut quo magis in his multiplicentur genera, eo magis confundantur species, cum praetextu differentiae genericae specifica negligatur, vel proponatur indagata. Eandem ob rationem me non morantur subtilitates Hallerianae circa *Hypna* et *Brya*. Illud, quod hic includo,

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

existimo esse tuum *Bryum Scoparium*. Secus ac plerique alii *Musci*, floret aestate usque in Autumnum. Inferior caulis pars annotina plerumque tomento quodam ferrugineo, superior juvenis candido obducitur. Dubium mihi nascitur ob silentium hujus lanuginis, et ob antheras, quae, maturae, non sunt erectae, quin imo multo magis incurvae, quam pictae sint apud Dillenium. Icon Vaillantii pro hoc fallax est, nisi cum monitione defectus, quod optarem fieri ubique, cum malae icones citentur.

57. *Splachnum ampullaceum* nunquam nisi ex synonimis cognovissem. Hoc sane a genere *Splachni* mihi magis alienum videtur, quam *Muscorum* ullum aliud, nisi olla, et operculum ollae, unum et idem sit. Eo minus affinitatem inter omnes *Splachni* species positam capio. Enim vero, quemadmodum olla sine operculo etiam olla est, sic *Splachnum ampullaceum* est quidem *Muscus* sine umbraculo; atqui *Splachnum* est *Muscus* cum umbraculo; ergo non est *Splachnum*. Quid juvat definire genera, si definitio non applicatur speciebus. Triangulum aequilaterum est, cujus tria latera sunt aequalia, ergo Triangulum, quod duo tantum habet latera aequalia, non est aequilaterum.

58. *Peziza Cornucopioides*. Varietas sit, an species, nescio, et parum interest; sed datur, cujus discus nulla habeat puncta: quare aut duae species statuendae sunt, aut nota punctorum a definitione excludenda est. Vid. Schaefferi Tab. 164, 165, et 166. Specimen quod jungo, pertinet ad 165. De *fungis* multa haberem dicenda. In his cautius, quam in aliis vegetabilibus varietates admitterem. Nimium variat vita a morte. Exempli loco sit ex *fungis* Schaefferi Tab. 15, 16, et 92, 93, qui possent videri varietates *Agarici integri*. Hortabar aliquando nonneminem, ut ex *fungo* non satis noto pauculum ederet mecum; at ille prudenter non minus quam lepide respondit: visne, ut paululum moriar! Ego tamen illud periculum, salvo exitu, saepe sprevi, et per gradus caute procedendo, bonos *fungos* cognoscere didici. Pulchritudine se commendat *Echinus crystallinus gelatinosus* Halleri Hist., Nr. 2319. Tibi, ni fallor, *Tremella*, ob substantiam uniformen, mere gelatinosam. Tum *Peziza* ejusdem Nr. 2222 iconem hujus videbis apud Schaefferum Tab. 148. Hunc Auctorem, nunc quartam partem operis sui editurum, optarem a Te pro *fungis* citari, cum genera ad tuam mentem, quousque eam assequitur, prosequatur. In qua parte *Agarici violacei* sedet lana ferruginea? Nullum *fungum* cum tali lana inveni; violaceos plures, quorum nonnullos opipare comedi.

59. *Saxifraga Cymbalaria*, an *Geum orientale Cymbalariae folio molli, et glabro, flore magno albo*, Tournef., Itiner., 2, p. 362 ex mea editione?

60. *Artemisia Tanacetifolia*, an *Artemisia orientalis Tanaceti folio inodora*, Tournef. ex eodem Itinerario? Icones merentur locum in Synonimis.

61. *Hieracium paludosum* paniculatum in caule diu mihi hanc plantam abscondit. Interdum quidem ramosum vidi: sed apud nos caulis plerumque terminatur paucis parvis floribus, parum inter se remotis. *Echinops*, qui *Ritro* appellatur, interdum magis paniculatum monstrat caulem. Nisi omnia dicantur, quae ex bona icone oculis cerni possent, aegre illud *Hieracium* ab amplexicauli, et aliis distinguetur.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

62. *Crepis tectorum* mihi adhuc ignota est, nec ullam *Crepidem* in tectis crescere vidi. *Crepis foetida* hic provenit inter vineas; *Crepis biennis* in pratis; *virens* in sylvis montanis caeduis; *Dioscoridis* forte, vel *tectorum*, a *bienni* parum diversa, in campis, pratis, pomariis, et ad sepes; *Austriaca* Jacquini, et *alpina* in Alpibus. Sed squamae hujus exteriores scariosae vix ultra dimidiam longitudinem calycis extenduntur. *Crepis chondrilloides* Jacquini ab omnibus tuis et vel maxime a *bienni* plane diversa est; quod nemo inficias ibit, qui plantam in loco natali viderit sylvestrem. Non satis recordor, an D° Ferber dederim Tibi monstrandam *Leontodontis* novam speciem Austriacam, squamis calycinis omnibus erectis, inferioribus ovatis, scapo fistuloso, superne ad florem attenuato, foliis linearibus integerrimis: crescit in paludosis, limosis, ubi radices tenaces, vix integre evellendas, agit.

63. *Hieracii porrifolii* quidem datur varietas, foliis lactescentibus, denticulatis, sed ab hac varietate distinctum satis est *Hieracium saxatile* Jacquini, quod, si me varietates adeo delectarent, potius referrem ad *Hieracium murorum*. Bene autem est quod restitueris *Hieracium incanum*, omnino a *Leontodonte hispido* diversum, et floret primo vere; *Leontodon hispidum* sero demum autumno, in iisdem locis, cum alterius nullum supersit vestigium. Pili furcati non statim eandem inducunt speciem. Distinctionem generum in Compositis semifosculosis parum curo. Omnes mihi sunt unius generis, sed species, et differentias specificas quaero, in calyce praecipue, tum in aliis signis, figuris, et Synonimis, donec inveniam, aut invenisse me putem, quid alii de hac vel illa sentiant. Facilius autem est, plantas cognoscere, quam mentem tot hominum dissentientium!

64. *Amaryllis Belladonna.*[1]) Anne *Hemerocallidis* species, potius quam *Crini*. Inter *Hemerocallides* eam quaesivi, donec ex flore incarnato, fundo luteo-albescente Sloanii *Amaryllidem Belladonnam* intelligi conjecerim. Classis haec denuo est genus maxime naturale: genera subalterna pro cujusque ingenio sunt maxime arbitraria: species prae aliis distincta, et notis praecisis in certos ordines redacta, possunt Pictorum et Botanicorum arte tantum non mathematice demonstrari; figuris, inquam, nam ne quidem Triangulum Isosceles nisi ex figura cognosco, ideoque id construere ipse docuit Euclides; quin si scirem, ideas ex sensu me fallere, de existentia corporis mei dubitarem. Res imagine, imago vix verbis exprimitur. Caecus natus miser profecto foret Astronomus, etiamsi ingenio superaret Neutonum.

Si animadversiones meas Tibi, Vir Illustris, non displicere et inutiles esse intellexerim, plures potero subministrare: his litteris priores tantum delucidare mens fuit. Nihil mihi magis est in votis, quam ut pro tertia editione Sp. Pl. vita viresque Tibi supersint, et valeas. Vale! Dabam Vindobonae, die 9ª mensis Februarii, A° 1771.

Bimagar., Pl. 29, 7, folia speciminis, quod habet non sunt subtus tomentosa, sed plane glabra. — Lubenter centum aureos darem, ut unico die Tecum esse possem.

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 363.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

II.

de Vienne.

A Monsieur

Monsieur Charles de Linné,

Chevalier de l'Étoile Polaire, Premier Medecin de S. M. Le Roi de Suède, Professeur dans l'Université d'Upsal, Associé de plusieurs Académies des Sciences les plus célèbres en Europe.

à Upsal,
en Suède.

Perillustri et Celeberrimo Viro

D^o Carolo à Linné,

Equiti Aurato de Stella Polari, Regiae Majestatis Sueciae Archiatro, etc.

S. P. D.

Franciscus à Mygind.

Post litteras, quas nuper ad Te dedi die 9^na hujus mensis, responsum accepi à Rev. P. Wulfen, Soc. Jesu, qui olim *Cucubalum Pumilionem* pro specie *Silenes* miserat, et nunc iterum veram esse *Silenen* affirmat. Plantam sic describit:[1]) „*Radix perennis, crassa, teres, oblique descendens, fibrillis instructa, ex foliis tabescentibus circa caput squamata, summa in tellure in latum cespitem caulium simplicissimorum, undique expansa. Caules alii floriferi, alii, iisque frequentiores, foliosi dumtaxat, nulli semialterum digitum longitudine excedentes; hi et illi semper prostrati, nec nisi apicibus erecti, ut flores acaules, terrae ipsi irradicati credi possint. Genicula cauliculorum tria, summum quaterna, brevia, teretra, nuda. Folia ad geniculorum bases opposita, sessilia, sive connato-amplexicaulia, linearia, cum modico acumine. Flos terminalis, unicus, erectus, respectu plantulae maximus, ipsumque nonnunquam, quem terminat, cauliculum longitudine excedens. Calyx cylindricus, subinflatus, apice quinquedentatus, dentibus aequalibus, obtusis, ex viridi nigro et rubro coloratus, villis albidis densissimis hirsutus. Petala quinque, in ungues planos, albos, longitudinem calycis aequantes, introrsum ad ipsam basin carinatos, decurrentia. Limbus rosei coloris, erecto-patens, lobis latiusculis, obtuse emarginatis, sive obverse cordatis, qui singuli ad faucem corollae denticulis binis, longiusculis, setaceis, imo capillaribus, pallida roseis, instructi sunt. Stamina decem sub receptaculo adfixa, filamentis subulatis, albis, calycis longitudine, alternis paulo brevioribus. Antherae oblongae, acutae, roseae, tandemque cinereae, per faucem prospicientes in longioribus filamentis. Germen oblongum, cylindricum, laeve. Styli tres, albi, filiformes. Stigmata simplicia. Capsula unilocularis,*

[1]) Conf. Wulfen, Flora Norica, ed. Fenzl et Graf (1858), p. 479—480.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at

trivalvis, polysperma. Odor nullus." Quidquid ex hac descriptione Tibi placuerit, illud omne Rev. Patri Wulfen tribuendum: Nam ego plantam vivam non vidi, et nescio, an denticuli illi bini capillares ad singula petala in fauce corollae ad genus *Silenes* sufficiant?

Iis, quae nuper de *Hypnis* dixi, hoc addere liceat, quod in Sp. Pl. nulla Buxbaumii figura ad *Hypnum*, sed ad *Bryum squarrosum* referatur illa Cent. IV, Tab. 65, Fig. 1. Nunc autem in Syst. Nat., Edit. 12ma mutata definitione *Hypni squarrosi*, Buxbaumii figura ad hoc laudatur tanquam optima. An ergo *Bryum squarrosum* jam in *Hypnum* degeneravit? Si ita, *Bryum* istud deberet exulare, sin minus, male ... asseruit, Buxbaumii figuram ante Editionem ultimam Syst. Nat. ad *Hypnum squarrosum* a Te reductum fuisse. Haec aequivoca omnia nascuntur ex confusione nominum cum definitionibus, nec cessabunt unquam, nisi nomina constanter maneant, et definitiones sensim sensimque emendentur. De *Hypnis* adeo sollicitus sum, ut saltem de uno, eoque praecipuo *Muscorum* genere constet. Vale! Dabam Vindobonae, die 19. Februarii 1771.

Referate.

Kusnezow, N. Ueber den Polymorphismus der *Veronica Teucrium* (L.) Wallr. (Bull. de l'Acad. imp. des Sc. de St. Pétersbourg, Sér. 5, Tome 6 [1897].)

Die schwierige Artengruppe der *Veronica Teucrium* L. wird vom Verfasser in folgender Weise gegliedert:

1. *Veronica latifolia* L. (das ist die echte *V. Teucrium* L.!). Von Westeuropa bis Ostsibirien verbreitet.
   Var. *β. minor* Ledeb. Sibirien.
2. *Veronica prostrata* L. Von Westeuropa bis Westsibirien.
3. *Veronica Austriaca* L. (das ist *V. multifida* Jacq. et aut. Austr.). Von Westeuropa bis zum Kaukasus.
   Varietäten: *α. pinnatifida* Koch, *β. bipinnatifida* Koch.
4. *Veronica multifida* L. Von Kleinasien und Südrussland bis Transkaukasien.
   Var. *β. tenuifolia* Boiss. in demselben Gebiete; var. *γ. obtusata* in Ossetien.
5. *Veronica orientalis* Mill. Von der Krim und Kleinasien bis Persien.
   Var. *β. tenuifolia* Boiss. in demselben Gebiete.

Ferner fand der Verfasser zahlreiche Formen, die er als Bastardreihen angehörig betrachtet, und zwar den Verbindungen *V. latifolia* × *prostrata* (*V. Teucrium β. minor* Schrad.), *V. Austriaca* × *latifolia* (*V. dentata* Schm.), *V. Austriaca* × *prostrata* (Reichb., Exsicc. 1004 aus Laibach!), *V. Austriaca* × *multifida* (Transkaukasien) und *V. multifida* × *orientalis* (Kaukasus, Krim).

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Verhandlungen der Zoologisch-Botanischen Gesellschaft in Wien. Frueher: Verh.des Zoologisch-Botanischen Vereins in Wien. seit 2014 "Acta ZooBot Austria"

Jahr/Year: 1897

Band/Volume: 47

Autor(en)/Author(s): Mygind Francisci A.

Artikel/Article: Observationes Critico- Botanicae. 473-493